



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-844710-p0001-9

DFG



R.F. 261,54  
Q. D. B. V.  
ILLUSTRISSIMOS  
**COMITES AC DOMINOS,**

Z C  
7351

DOMINOS SUOS GRATIOSISSIMOS,

MAXIME VENERANDOS

**DNN. INSPECTORES,**

OMNES MUSARUM NOSTRARUM FAUTORES AC AESTIMATORES

AD PANEGYRICUM

MEMORIAE

VIRI QVONDAM NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CONSULTISSIMI QVE

**DN. CHRISTOPHORI VVER-**  
**THERI Mühlforti**

J. U. D. CELEBERRIMI, CONSILIARIJ RUTHENO-PLAVIENSIS, ILLISTRIS  
CONSISTORII ADSESSORIS, SCHOLAEQUE HUJUS, PROVIN.

CIALIS INSPECTORIS GRAVISSIMI,

DIE XVI. JANUARI. ANNO 15 Dec IX.

PRAEMATURO FATO REIPUBLICAE EREPTI,  
ET HONORI

VIRI NOBILISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI

**DN. HEINRICI ERNESTI**  
**HÜLSEMANNI,**

J. U. LICENTIATI, ET SUCCESSORIS EJUSDEM EXOPTATISSIMI  
DIGNISSIMI QVE

DICATUM

ATQVE AD D. XXX. OCTOBRI. HORA DECIMA  
instituendum

subiectissimā pietate, atq; ea quā decet observantia ac humanitate

INVITAT

**M. GEORGIUS LUDOVICUS Goldner/**  
ILLISTRIS RUTHENAE RECTOR.

Gerae, Literis VVertherianis.



Uotquot ita vixerunt in orbe,  
ut vel inertia vitam transirent ac otios;  
vel magis seipso respicerent suasque  
curarent utilitates, quam quod  
publico prodest & patriae: nunquam  
maturius decessisse censeri solent, ac  
vix ullum apud bonos honestosque  
sui post se relinqunt desiderium.  
Hi enim, cum vivendi neglexerint  
causas ac perdidarent, nihil unquam  
vitâ ac luce magnopere dignum moliendo suscipiendo: nul-  
las quoque dolendi querendique causas illorum obitus praebet  
re poterit atque afferre. Hujus generis morisque homines pa-  
rum pensi habent sapientissimum illud C. Crispi Sallustii, quo  
Bellum Catilinarium auspicatus est, monitum: Omnis homines  
qui sese student, praestare caeteris animalibus, summa ope nisi  
debet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quae natura  
prona atque ventri obedientia finxit. Sed omnis nostra vis in ani-  
mo & corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis  
utimur: alterum nobis cum dis; alterum cum belluis commu-  
ne est. Quo mihi rectius videtur, ingenii, quam virium op-  
ibus gloriam quaerere: & quoniam vita ipsa, qua fruimur, bre-  
vis est, memoriam nostri, quam maxime longam efficere.  
Nam divitiarum & formae gloria fluxa atque fragilis est, virtus  
clara aeternaque habetur. Quotquot vero benè ac laudabiliter  
vitam instituerunt suam in Republica, interque viros de eadem

benè



benē merentes ita versati, uti semper aliquid & vitā, & ordine suo  
agerent dignum, salutemque communem promoverunt soler-  
ter, atque adeò memoriam sui virtutum operibus studuerunt  
extendere: His longissimum vitae spatiū optandum jure me-  
ritōque est & apprecaendum, horum mors & iactura nunquam  
non praematura videretur ac repentina, acerba bonis omnibus ac  
iuctuosa. Quantò igitur magis lugendus nobis perpetuò erit  
praematurus admodū excessus, VIRI Nobilissimi atq. Excellen-  
tissimi DN. CHRISTOPHORI WERTHERI Mühlpforts  
Juris Utriusq. Doctoris, Illusterrimis Comitibus Junioris Lineae Ruihe-  
nis à Consiliis, Sacri Senatus Adfessoris, Illustrisq. Ruthenei Inspectoris  
gravissimi, Patroni Musarum nostrarum benignissimi, qui o-  
mnem benē collocaverat aetatem, ac Reipubl. commodis con-  
secraverat, paeclarumque à naturā meliore quem acceperat  
animum itatā virtute ac moribus egregiis, quām disciplinā  
doctrināque finixerat, usu quoque & tractatione gravissimorum  
négotiorum perfecerat atque confirmarat, ut multum praefidii  
ac spei, cum in pietate ejus ac fide, tūm prudentiā & consiliis  
positum haberet universa haec provincia. Hujus bono in lu-  
cem vitamque communem prodit Anno MDCLXI. Die XXIII.  
Decembr. prognatus Nobilissimis Parentibus, HIERONYMO  
Mühlpforti J. U. Doctore & Consiliario Comitum de Hohen-  
loeh atque causarum Patrono ordinario supremae, quae Jenae  
est, Ducum Saxoniae curiae; Matre, ANNA SABINA, Danie-  
lis Stablii, Logices & Metaphysices Professoris publici longè ce-  
leberrimi, Filia. Ab his traditus mature curae fideique Praece-  
ptorum reverenter ac probè se gessit, profectaque sub eorum di-  
sciplinā ac ductu eò facilius pariter ac felicius, quò magis doti-  
bus valebat animi, & ingenio praecepue perquam docili praef-  
stabat. Anno LXXV. in septemviralem, quae Portae est, mitteba-  
tur ludum, ubi studia ejus conatusque moderatus imprimis ad-  
juvitque bonā fide & indefessō studiō, M. Johannes Georgius Lau-

rentius, Rector, cujus monitis ac praeceptis excitatus confirmatusque non modo amavit literas elegantiores; sed etiam contuit, animoque complexus est, maximè cum intelligeret, ab his fontibus plurima maximaque doctrinae commoda proficiendi. Anno LXXXI. valedixit Scholae atque luculento ornatus testimonio, rediit in patriam, ac studia studiorum sublimiorum ingressus est, usus Doctoribus initio, Valentino Velthemi, Johanne Philippo Slezoglio, Johanne Andrea Schmidio, Viris exquisita eruditione claris, & de Academia ista excellenter meritis, atque ex eorum Scholis, quae tum sapientiae tradebant praecepta & explicabant, ea sibi comparavit, quae usui in primis ornamentaque crederet fore Jurisprudentiae, quam scopum studiorum laborumque elegerat fixeratque. Talibus initiatu-  
tibus Anno LXXXII. Lipsiam venit, & scholis D. Valenini Alberti, L. Ottonis Menkenii, D. Andreae Mylli, D. L. Schwendendorfferi, in quibus jam instruebant, jam examinabant, jam disputando exercebant auditores, interfuit assiduè magnisque cum fructu. Reversus postea Jenam, Lynckerum, Juris Consultorum Principem, D. Volkmarum Bechmannum, D. Petrum Müllerum, magna Astraeae Lumina, sectatus duces est, studiumque Juris ac legum ita prosecutus, ut ingenium magis magisque nobilissima hac scientia locupletaret. Cum hac ratione animum egregio non vulgaris eruditionis instruxisset apparatu, varia edidit exercitationum specimen. Anno LXXXIV. primum disputandi publicè copiam ei fecit D. Petrus Müllerus, aevi sui Cujacius, quoduce ac moderator de Jure Justinianœ sententias cum eruditis hominibus placide contulit. Paulò post iterum juridicam confundit palaestram, atque Praeside D. Georgio Adamo Struvio, de officiis, Illustri Lynker, de conveniu Deputatorum Imperii, ex Jure publico, cum doctissimis Viris discepavit, atque praeciale ubique gessit. Hinc Anno LXXXVI. laborum & vigilarum praemia merito ambuit, & rursus in certamen laudis plenum de-

Feud

*Feudo Hereditario*, ingressus, benè, si quisquam alius, stetit, summos deinceps in jure honores, docendique facultatem consecutus. Ab eō tempore ipse scholas aperuit, in quibus, Leges & omnis generis jura solerter & eruditè, magnā auditorum frequentia explicuit, tūm quoque certamina instituit, de rebus magni momenti ex diversis juris generibus desumtis, eamque raro exemplō gloriā obtinuit, ut septuagies Praefidis munere functus, nunquam sine accessione laudis ē cathedra discederet. Novus & ingens cumulus ad dignitatem nominis ejus & existimationem accessit, cum Vir Generosissimus Dn. Christopherus Heinricus à Stein, posteā Illustrissimis Comitiis Ruthenis Juniores Lineae à Consiliis, jam Baronatus Insulis Illustris, & excelsae supremaeque Imperii Curiae Consiliarii honore auctus XXIX. Dissertationibus, arduas juris controversias ex Strauchio discutiendas exhiberet, continuāque serie, duce Eo, accuratè in conflitu literato evoiceret. Inter hos labores causas quoque in foro defendendas suscepit, atque nomen justi ac aequi amantis Patroni meruit. Jacto itaque honoris & fortunae fundamento, castissimum foedus pepigit cum Matronā Nobilissimā, Annā Elisabethā, Viro Amplissimi Dn. Jobannis Zachariae Schaaperi, Quae storis Cappellendorfensis dignitate praediti, vidua:quas sub auspicio hujus mensis Heilbrunnae, inter amplexus & lacrymas filiae unicae, Eleonorae Sopiae, elegantia formae morumque florentissimae, Viro Generoso Dn. Job. Friderico à Nößlumpff/Hereditario in Trappensee, & Consiliario Ruthenico, Anno Icc VI. mense Novembri nuptum datae, vita defuncta, ut citius desideratissimo marito rursus conjungeretur. Famā eruditionis Jenae magis magisque increbescente, anno XCII. ab ILLUSTRIS SIMO COMITE AC DOMINO, DN. HEINRICO XI, JUNIORIS LINEAE Rutheno, Praefectura illi Schleicensis fuit commissa. In quā moderanda omnes nervos intendit, ut expectationem de se omnium non aequaret solum; sed etiam fidei

prudentiaeque laude superaret. Hoc ei conciliavit gratiam  
TOTIUS ILLUSTRISSIMI JUNIORIS STEMMATIS RU-  
THENICI, atque effecit, ut eum anno XCIX. Consiliarium,  
Sacri Senatus Assessorem, Gymnasiique Provincialis Inspecto-  
rem ritè solemnitaterque constitueret. In hunc ampliorem de-  
latus campum vires ingenii exeruit luculentius, & exquisi-  
tam illam eruditionem ac prudentiam, quam tanto sibi stu-  
dio comparaverat, ad emolumentum Reipublicae contulit,  
pristinumque decus atque famam auxit & ampliavit. Simil-  
ac amplissimas illas suscepserat partes, singulari fide & industria,  
& illa consulendi agendique expeditâ ratione omnium animos  
sibi devinxit, atque ILLUSTRISSIMORUM praecipue PA-  
TRIAE PATRUM gratiam conciliavit, eademque constanter  
floruit. Nam nihil unquam dixit & censuit, nihilque egit &  
molitus est, quin è re esset publica, & dignitati commodisque  
RUTHONUM serviret. Prudentiae, quā pollebat, vim & co-  
piam uti quovis casu; ita tūm in primis comprobavit, ubi ex  
rerum temporumque conditione & varietate capienda esse rationes,  
cautiosque imitatus nautas, cursum quandoque obliquum  
tenuit, atque cedendo saepe vitavit periculum sapienterque  
vicit. Non ignarus, mora valescere consilia, interdum pro-  
vida cunctatione usus, & velut è longinquō eventuum specta-  
tor expectavit occasiones, & cum se darent, captavit péritè.  
Jam in celeritate posuit momentum, & dicta statim factis  
conjunxit. cum moram putaret inutilem, haberetque maru-  
randi negotii multas pariter & idoneas causas. Salutis & se-  
curitatis patriae ergò difficilia & prolixa suscepit itinera, non va-  
letudini suae parcens, & semel iterumque Viennam profectus,  
summis aulae Augusti Imperatoris ministris necessitates patriae  
commendavit, & grandia arduaque negotia, quae fidei ipsius &  
prudentiae commissa erant, feliciter confecit. In Senatu  
& congressibus, in consiliis atque negotiis publicis, in Legatio-

nibus

nibus gravissimis; gravitatem motum humanitate ornatam, decoram animi praeferentiam, acerrimam indolem, insignem judicii vim luculenter demonstravit. Justitiae & sacerdos fuit, & custos soleitisimius, atque in eam semper partem pronunciat sententiam, unde illa stare videbatur, liberi atque invicti non modo adversus metum animi; sed avaritiam quoque, neque sollicitandus muneribus, nec detrimenti ullius timore avertendus à recto. Non dispar erat Catoni, qui nunquam recte fecit ut facere videretur; sed quia aliter facere non poterat; cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam. Jam quid de integritate ejus & candore dicam? Nam fallere, simulare, & vulpem astutam, ut Persius ait, sub vapido servare pectore, (quae hodiernae artes sunt, & ubique maximè eheu! regnant) detestabatur assidue, non raro de iisdem & querebatur. Absit à pietate meâ & gratae mentis studio, heic dissimilare, quanto me favore amplexus sit, ad familiares sermones saepe admirerit, atque omni benevolentiae genere dignatus. Quicquid ad literarum decus Gymnasiique facere incrementum videbatur; id probabat & curabat sedulò, atque de studiis à juventute mereri benè quovis modo, cupiebat. Quare nihil optandum magis fuisset, quam ut tantus in corpore fuisset vigor, quanta in animo virtus: tanta facultas in Medicis resistendi fatali morbo; quanta voluntas & copia in optimo viro medendi morbis reipublicae. Sed eheu! praeter omnem opinionem accidit, ut initio robur dextri pedis ulcere quodam tentatum sit fractumque, cuius tantè fuit malignitas, ut omnis opera à Viro Nobilissimo atque Experientissimo Dn. D. Johanne Christophoro Zopffio, illi sanando, & febri, quae postea secuta, pellendae exhibita, irrita fuerit felicique caruerit successu. Quod cum animadverteret piissimus CHRISTOPHORUS, de salute animae unice erat sollicitus, atque CHRISTUM Salvatorem suum, quem in corde gestabat, se non deserturum esse, sed constanter ei ad-

haec

ZG 7351 AK

haesurum profitebatur, eidemq; animam commendabat, atque inter preces adstantium placide hora V. matutina d. XVI. Januarii, exspirabat. Nostrum est, & refert publice, viri de tota re-publica paeclarissimè meriti consecrare memoriam & conser-vare, atque quanto fieri potest studio, meritos ipsi supremosque exhibere honores. Has qui in se susciperet partes dignissimus visus est


RUDOLPH.AUGUSTUS HEINRICUS *Geldern*  
Greiza. Variscus, nostrum & Musarum Delicium, qui sumto ab natali initio, qualis quantusque toto vitae tempore *Senator no-  
ſer* fuerit, oratione latina Panegyrica diligenter eleganterque conscripta exponet. Supremo hoc officio Beatissimo Viro per-soluto,

JOHANNES GOTTLIEB *Bohn*  
Lipsiensis, pius, morigerus, industriusque Adolescens, Inquili-nus & Commensalis meus percarus, Quaeſtioneſ illam politi-cam: an Principes indigeant Consiliariis iisdemque recte utan-tur, diſciptiendam ſumet, & ſententia ajente conſirmata, prude-n-tiam CELSISSIMORUM COMITUM RUTHENORUM hac in parte praedicabit, ac novo Eorundem auſpiciis atque auctor-i-tate conſtituto Consiliario, Viro Nobilissimo Consultiſſimoque DN. HEINRICO ERNESTO HULSEMANNO, J. U. L. Matrueli ſuo venerando, magni HULSEMANNI, Doctoris de Ecclesia pu-riori immortaliter meriti Nepoti, & ipſe nepos, oratione itidem latīna hac dignitate gratulabitur. Ut igitur ILLUSTRISSIMI COMITES AC DOMINI, DOMINI NOSTRI GRATIOSISSIMI, ut SUMME VENERANDI DNN. INSPECTORES, ut RELI-QVI MUSARUM NOSTRARUM FAUTORES ET AMICI, hanc panegyrin ſplendida ſua ac perhonorifica praefentia di-gnari velint, humillimè, obſervanter & officioſe rogamus.  
P. P. Gerae Ruthenicas Dom. XXII. p. Trin. A. R. S. cl. locc IX.

m.5

Pon 2c 7351  
1QK





Q. D. B. V.  
ILLUSTRISSIMOS**COMITES AC DOMINOS,**DOMINOS SUOS GRATIOSISSIMOS,  
MAXIME VENERANDOS**DNN. INSPECTORES,**

OMNES MUSARUM NOSTRARUM FAUTORES AC AESTIMATORES

AD PANEGYRICUM

MEMORIAE

VIRI QVONDAM NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CONSULTISSIMI QVE

**DN. CHRISTOPHORI VVER-**  
**THERI Mühlpfort/**J. U. D. CELEBERRIMI, CONSILIARIUS RUTHENO-PLAVIENSIS, ILLUSTRIS  
CONSISTORII ADSESSORIS, SCHOLAEQVE HUJUS, PROVIN-  
CIALIS INSPECTORIS GRAVISSIMI,

DIE XVI. JANUARIJ ANNO 1590.

PRAEMATURO FATO REIPUBLICAE EREPTI,  
ET HONORI

VIRI NOBILISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI

**DN. HEINRICI ERNESTI**  
**HÜLSEMANNI,**J. U. LICENTIATI, ET SUCCESSORIS EJUSDEM EXOPTATISSIMI  
DIGNISSIMI QVE

DICATUM

ATQVE AD D. XXX. OCTOBris, HORA DECIMA  
instituendumsubje*ctissimā* pietate, atq; ea quā decet observantia ac humanitate

INVITAT

**M. GEORGIUS LUDOVICUS Goldner/**  
ILLUSTRIS RUTHENEI RECTOR.

Gerae, Literis VVertherianis.